INNOCENTIVS, P.P. X.

Morbio 27 (45)

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio Nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Volentes igitur tibi qui ut alteris ut parentibus tuis solatio esse possis, et fervore devotionis accensus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines ad titulum patrimonii tui, seu perpetui beneficii ecclesiastici quantocitius promoveri summopere desideras premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes. Supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati tibi ut ab ordinario tuo vel de eius cuius etiam testimonio vita et mores tui commendentur licentia a quocumque quem malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis apostolicae habente in propria diocesi residente vel in aliena de Dioecesani loci consensu Pontificalia exercente per te eligendo clericali charactere (quatenus illo nondum insignitus sis) insigniri et ad quatuor minores quatuor statutis vel non statutis seu unica et subinde ad dictos sacros Subdiaconatus Diaconatus et Presbyteratus ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus continuis vel interpolatis etiam extra tempora ad id a iure statuta ac interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis annique curriculo non expectato etiam si in unoquoque dictorum sacris ordinibus antequam ad alium promovearis te minime exercueris ad titulum patrimonii seu beneficii huiusmodi dummodo illud pacifice possideas illiusque fructus redditus et proventus ad congruam tui sustentationem sufficiant teque ad id idoneum reperiaris promoveri et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus Necnon ordinario tuo, seu alii Antistiti per te eligendo praefatos ordines huiusmodi tibi conferendi licentiam impartimur. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, Volumus autem quod donec tibi de Ecclesiastico seu alio annuo redditu ad congruam tui sustentationem sufficiente provisum fuerit patrimonium tuum praedictum (si te ad illius titulum promoveri contigerit) alienare vel hypothecare nullo modo possis. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die viij Novembris MDCLij Anno Pontificatus Nostri Decimo

G. Gualterius

1653 8/XI

Dilecto filio Joanni Carolo Sorolloni Clerico Mediolanen

Morbio 27 (45)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1875951946-13/fragment/page=0002